

Bibliothèque numérique

medic@

**Geoffroy, Stéphane François -
candidat / Dieuxivoye, Bertin -
président. - An recèns nato, lac
recèns enixae matris ?**

1703.

*Paris : Apud viduam Francisci
Muguet, Regis & Facultatis
Medicinae Typographi*
Cote : ms 2324 n°144

685

144

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM.

Die Jovis vigesimā-nonā Martii.



M. BERTINO DIEUXIVOYE,
DOCTORE MEDICO,
ET ANTIQUIORE SCHOLARUM MAGISTRO,
P.RÆS I D E.

An recens nato, lac recens enixa matris?

I.

VIX conceptum corpus humanum jam destruitur. Nec instanti diutius vitâ frueretur homo, nisi partes quæ ex ipsis corpore continuo avolant, nutritione restituerentur. Sive hominis primordia in ovo muliebri lateant: Sive illa in maris semine sub vermium specie innatent; hæc eodem, quo Parentis corpus, nutrimento aluntur. Fœtus, post conceptum, in utero matris uberiorem semper in dies nanciscitur alimoniam, non solùm nutritionis, sed & accretionis materiem. Fœtus alimentum, Chylus est: Non sanguis maternus, cui nullus ad fœtum aditus. Liquori vero Lacteo viæ sunt apertæ per vasa scilicet lactea, quæ à Mesenterio ad uterum usque protensa in ejus fundum dehiscunt; ubi extremis placentæ vasis connectuntur. Ex utero ad fœtum nullum alium stillare liquorem præter lacteum, probatur evidenter prægnantium brutorum uteri perscrutatione. Si enim levi manu placentula ab utero disjungatur, fluit tantummodo lacteus liquor. Hic succus placentæ venulas subit, & una cum sanguine ad fœtum defertur.

0 1 2 3 4 5 (cm)

2

Non omnis in nutritionem impenditur ; sed quod à nutritione superfluum est , id transpiratione exhalatur , & condensatum , Amnii liquorem efformat. Ob rariorem cutis fœtus texturam , magisque proinde perspirabilem , uberior primis graviditatis temporibus colligitur hic humor ; proximis contrâ partui temporibus parcior reperitur , proportione servatâ ad fœtum : Eò quod patentibus jam aliis viis excipiatur. Hujus humoris fluidior pars renibus , vesicâ & membranâ urinariâ , Allantoidis brutorum vices gerente secernitur. Crassior verò humor ex ventriculi intestinorumque glandulis in eorum cavitatem stillat. Subalbidus in ventriculo deprehenditur , in intestinis , ob admistam bilem , niger , qui Meconii nomine designatur. Hæc recrementa in nato infante fœcunda sunt morborum germina , nisi statim ab ortu ex iis liberetur.

I I.

QUÆ ad fœtum alimoniam deducebant vasa , in jam nato infante ab officio cessant. Ore novum pabulum sibi quærunt. Sedulò cavendum est , ne novus cibus Meconio inquietetur : Providendum quoque ne viscidiori copiosiorique muco ita fistulæ intestinalis parietes oblinantur , ut chyli in venas laetæas per poros intestinorum transitus retardetur aut intercludatur. Si Meconium chylo confusum cum sanguine semel misceatur , crassior & fætido suo sulphure , agile & blandum sanguinis sulphur deprimit , & sale acriori succorum dulcedinem corrumpit : Unde sanguinis crasis turbatur. Non minus noxia est chyli in intestinis mora , quâ non mediocriter acepscit , meconio deinde admistus effervescit impetuosiùs , non sine tormento. Turbida hæc & tetra mistura , si venas laetæas subeat , ibique hæreat , præterlabentes succos pessimè afflat & cogit : Ulterioris si serpat in sanguinem virus illud , novissima mala pejora prioribus producit. Ex hâc utrâque causâ in Infantibus morborum Ilias : Lactis acor & coagulatio , Vomitiones , Alvi Profluvia , ventris Tormina , Ingens vermium Luxuries , Mesenterii obstrunctiones , Abdominis distensio , Hydrops , Tusses , Atrophia , Febres , Motus Spasmodici , Epilepsia , Lithiasis , Rachitis , Variolæ , Morbilli , unde fit ut vel præmaturâ morte rapiatur puer , vel miserrimum spiritum trahat.

I I I.

RE C E N S natis alendis præstò est Lac in matris uberibus : Chylus est cum Lymphâ permistus ; Triplici constat substantiâ , Oleosâ quæ Butyrum , Salino - terrestri quæ Caseus , & Salino - aquosâ quæ Serum dicitur. Certis tantum temporibus ad mammas & uterum devehitur. Quibus viis hoc deveniat , in muliere adhuc

3

incertum : Nō per tubulos à ductu Thoracico ad mammae , & à Mesenterio ad uterum usque protensos deferri supponatur , ut in quibusdam lactantibus brutis observatum est. Prægnationis tempore , raro aliis temporibus , laetè adimplentur mammae . Ut primūm concepit mulier , ejus succi , maximè lympha , aurā seminali afflati lentescunt. Humor , quo madent mammae , jam tum crassior hæret in suis tubulis , quos aliquo cum dolore premit. Exinde vasā uberiori spirituum affluxu tument , & à succis jugiter advenientibus nec facilè commeantibus ultrò distenduntur ; hoc modo sternitur via lacti. Lactis indolem variam constituunt diversum genus animalium , diversa eorumdem indoles , nec non alimentorum varietas. Ut puerō nullum alimentum convenientius est lacte materno , ita recēns nato nulla aptior medicina est matris Colostro. Est autem Colostrum , Lac aquosum & turbatum , quod statim à partu è mammis diffuit.

I V.

IN recēns nati commoda non leviter peccat , qui ipsi denegat Colostrum , falsā impuritatis noxiæ opinione deterritus. Blandum est & à naturā paratum infantibus Eccoproticum alimentum. Sero enim suo tenacem ventriculi mucum , piceumque intestinorum Meconium diluit : Saleque subacri , quo pollet , intestina vellicat , & ad dejectionem sollicitat. Nec solum alvum repurgat , sed & Mesenterii venas & glandulas expedit à viscidis humoribus quibus infaciuntur ; sicque quod intus læsurum erat , utiliter effunditur , atque liberæ ac mundæ redduntur viæ. Quām parūm metuit suam culpari pietatem Mater , quæ , naturæ legum oblita , alteri suum infante nutrīci laetandum tam facile relinquit. Lacti materno nullum par est. Si quando minūs probum sit , convenientius tamen est infanti , quippe qui jam huic in utero assueverit ; à multo namque tempore consueta , etiamsi deteriora fuerint , insuetis minūs turbare solent. Lac matris pueri succisi nutritiis amicè jungitur , ut potè simile. Qui matris ubera fugit , vividior est ut plurimūm , & magis vitalis. Id ostendit Cutis æqualis , nullis aspera maculis , Habitus floridus , Caro firma , atque functionum Integritas. Non adeò felix conditio illius , quem nutrix alit conductitia. Insuetum enim lac , dum sanguini committitur , hunc commovet & perturbat ; sanguinis motu alterato , tenelli corporis functiones alterantur , nonnunquam ita pervertuntur , ut infantes vix acceptam vitam statim cum morte commutent : Aut si protractitur vita , misera est , variis morbis obnoxia. Si alieni lactis novitate sic plectitur infans : quæ non ejus vitium secum trahet mala ? Mille aliis modis nocet infanti. Nutricum ægritudines cum laetè abeunt

4

in infantes : Epilepsia , Arthritis , Phthisis , Scorbutus , Lues vene-
rea , &c. Ipsarum etiam nutricum animi vitia (proh dolor !) Infan-
tibus communicantur. Libidinosa Libidinosum fingit , Iracunda Ira-
cundum , Ebriosa Ebriosum ; quæ virtia toto vitæ decursu vix eluuntur.

V.

PA R E N S legitimâ de causâ maternas partes adimplere ne-
quit ? Tunc summâ diligentia advertat , cui munus suum peragen-
dum committat. Nutricem , si fieri potest , recens enixam eligat :
Colostri enim usu non solum puelli viscera purgantur , sed etiam
sensim lacti assuescit infans. Cum econtrâ , si lac crassius statim ex-
hibeatur , subitaneæ fiant in teneri corporis liquoribus mutationes ,
semper periculosæ. Nutrix sit bene morata , animo tranquillo : Non
Stolida , non Iracunda , non Ebriosa , non Melancholica , non Salax ;
sit optimi habitûs , vividi & rosei coloris , nec obesa , nec gracilis ,
pectoris lati , mammarum mediocrium , quarum papillæ nec longæ
nimium , nec crassæ , sed mediocres , quas infans commode sugere
possit ; ætatis sit ab anno vicesimo ad tricesimum quintum. Non
fuscâ sit , hujus dentes cariosi non sint , non ejus anhelitus foeteat ,
nec ullâ mali labe contaminetur. Deest recens enixa Nutrix ?
præstò sint lenia medicamenta , quæ Colostri vîres æmulentur ,
qualia sunt Tinctura Cassiae , Serum lactis , aut similia , identidem in
os infantis ingerenda. Nec priùs ad mammae admoveatur puer ,
quàm meconii pars maxima ex intestinis dejœcta fuerit. Primi die-
bus , non incrassante , non exsiccante cibo , sed refrigerantibus &
humectantibus alimentis vescatur nutrix , quibus fluidior fiat chylus :
ne nondum in puerô satis patentes chyli viæ laetè crassiore obstruan-
tur. Lac eligatur nec nimis crassum , nec tenue , quod unguis impo-
situm , nec nimis hæreat , nec citius defluat : colore sit albo , odore
grato , sapore dulci. His sic provisis & ordinatis , alienis überibus in-
fans innoxie admovebitur.

Ergo recens nato , lac recens enixa matris.

Proponebat Parisiis **S T E P H A N U S F R A N C I S C U S**
G E O F F R O Y, Parisinus, Baccalaureus Medicus , Regiæ scien-
tiarum Academiæ Parisiensis , Regiæque Societatis Londinensis ,
Socius. A. R. S. H. 1703.

Apud Viduam Francisci Muguet , Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.